

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6564

**Autre(s) référence(s)** : Bates 248 / ARTEM 2716

**Auteur(s)** : Arnoul « Villensis » [chevalier]

**Bénéficiaire(s)** : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1084

**Lieu d'émission** : Rouen, abbaye Saint-Ouen

**Action juridique** : donation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Arnoul « Villensis », chevalier, donne à l'abbaye de Saint-Ouen deux acres et demi de pré à Rouen et l'église de Biennais avec les deux tiers du domaine.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, 14 H 344.

### Éditions principales

a. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 248, p. 754-755.

Texte établi d'après a

SUI OMNIPOTENTIS DEI TUTIONE ARNULFUS VILLENSIS HUIC MUNDO DESERVIENS SUB CINGULO MILITIE.

Ea demum omni homini sibi prospicienti suspiranda ea votis omnibus amplectenda est felicitas quam in se solam vera prestat æternalis. Infra illam quæcunque sunt usui solo exteriori necesse est inserviant nec liberi animum indigne sibi subigant, immo quovis captum quanti valent redimant, redemptio enim viri teste Salomone propriæ divitiæ. Ea vero presenti mundo inservientibus qui probabilius exequi possit perdoceur, dum tocius salutis auctoritate indigentium commoditati advigilare iubemur. Et sane cum hoc promiscue omnibus exhibendum sit, potissimum tamen excellit, quod Christi prositentibus pauperiem pro eius respectu sit in cuius amore ad hoc eos communis voluntas iviit, non egestas misere ut sint cogit. His se vel sua impertiri adeo non infructuosum constat, ut propriæ laudis persepe titulis addat qui alieno labori benigne communicat. Huius gratia spei ego ARNULFUS et uxor mea pro redemptione communi patris duoque et fratris mei annuente et confirmante domino meo Guill(el)mo rege Anglorum et duce Nortmannorum donatione legali firmavi concessione fratris mei Hugonis, cænobitis sancti AUDOENI duas acras et dimidiam prati unius Rodomi et terram super quam manet Rotb(er)tus filius Gilberti cum consuetudinibus eiusdem terræ ad me pertinentibus ; a(e)ccelesiam quoque de Bienais et duas partes eiusdem villæ quæ michi contingebant ex paterno iure. Utrumque testes hii extiterunt legales. Ex parte venerabilis NICHOLAI abbatis eiusdem cænobii, Hugo de Vivario cum suo milite Hungerio, Richardus filius Gisleb(er)ti, GUILLELMUS de Sancto Victore, Gislebertus filius Fulcherii, Hugo Bacharius, Rogerius filius Fuarini. Ex mea vero uxorisque

meæ parte, Guillelmus dapifer, Gaufridus filius Gauterii, Torchetil de Liszos, Rotbertus filius Alberici, Arnulfus filius Radulfi de Lisoz, Radulfus filius Ivonis, Anscherius de Verli, Guillelmus filius Oylardi.

Convenit etiam inter nos ut cum michi superna dies adveniret in eodem cenobio pro hac donatione humarer si quidem animo meo occurreret, illis amplius nichil exigentibus, nisi ex mea meorum ue voluntate prodiret.

Actum hoc Rodomi super altare SANCTI AUDOENI, Anglis imperante supradicto GUILLELMO Nortmannorum strenuissimo duce, anno Mill(esim)º LXXXº IIIº incarnationis Domini.

Cuius auctoritate, eiusque intemeratæ genetricis MARIE et sancti PETRI apostolorum principis atque beati AUDOENI communis patroni eliminetur a communione sanctæ matris ecclesiæ, quicumque devotioni huic piæ obviam voluerit ire, vel huius donationis firmationis quolibet modo cassare, maledicet DEUS sedenti, stanti, ambulanti, vigilanti, dormienti. Sit profugus super terram et vagus, et eius fiant dies pauci, repentinus ei superveniat interitus et duplici contricione animæ et corporis conterat eum Deus.

+ Signum Guillelmi regis. + S(ignum) Gisleberti episcopi Ebroicensis. + Gisleberti Lisiacensis. + S(ignum) Roberti comitis Occensis. + S(ignum) Guill(el)mi comitis Ebroicensis. + S(ignum) Rotberti comitis Mellensis. + S(ignum) Rotb[er]ti comitis de Belesme. + S(ignum) Ricardi de Curcei. + S(ignum) Guill(el)mi de Tornebu. + S(ignum) Arnulfi. + S(ignum) Hugonis fratris eius.

Ego Nigellus de Albeneyo, ex assensu et voluntate domini mei Willelmi regis et conquestoris Angl(ie), donavi domino Ricardo fratri meo abbati de sancto Albano in Westhenreth decem hydatas terre et ecclesiam eiusdem ville, cum omnibus earum pertinentiis ; et in Waryngisforth(e) triginta solidatas terre ad augmentum dilatationem et ampliacionem foundationis extra occidentalem partem ecclesie et portas prioratus ibidem usque in villam, cum omnibus libertatibus quas alicui vel aliquo modo michi idem dominus meus rex Willelmus concedere potuit. Et ut hec omnia inposterum cunctis declarentur, huic carte sigillum meum apposui. Testibus domino meo Willelmo rege, et Lanfranco archiepiscopo.